



M.-s. 1297

Am F.  
R

2197.6

F. A. 3 May 3  
1831 oho



2

PRINCIPIA COMMUNIA TUMULI  
Domo & eis quibus in  
VITIO TUMULI  
**DESCRIPTIO INTI-**  
**TIORVM INCLYTÆ ACADE-**  
**MIÆ TVBINGENSIS ET OPPIDI**  
**TVBINGÆ.**

AUTORE  
**IOSEPHO BENTIO.**

VVITTEBERGÆ  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.

ANNO M. D. LIII.

# ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

D. Eberhardo, Illustrissimi principis & Domini  
Domini Christophori Ducis Vuirtenbergensis &c.  
filio primogenito. Domino suo Clemet-  
tissimo Iosephus Bentius

S. D.

Fertur Achæmenias quondam lex pulchra per oras  
Omnibus à Persis culta fuisse modis,  
Quilibet ut rerum pro conditione suarum  
(Dum rex imperium uectus obibat equo)  
Offerret Domino quamuis diuersa secuti,  
Munera tum regi qualiacunq; suo.  
Scilicet agricolæ fruges, sed uinitor uuas,  
Pastor oues prompta siue uolema manu.  
Artis opus pictor, donantq; fabrilia fabri,  
Sic aliquas Domino quisq; ferebat opes.  
Hæc eadem tanto gratissima dona Monarchæ,  
Exiguo quamuis ære parantur, erant.  
Sic Artaxerxi lympham portante Sinæta,  
Hausta fuit palmis grata duabus aqua.  
Huic quoq; gratatus Miles sic gratus honorem,  
Pro magno pomum munere grande tulit.  
Cuius ego specimen dare me (si uota ualerent)  
Nunc profectura uoce precarer idem.  
Scilicet ut dignum generoso principe munus,  
Officium studio testificante feram.

Tamq;

Tamqe forem gratus, quam qui de Perside malum,  
Obtulerat Domino gratior ipse suo.  
Aggressus patriæ depinxi carmine tecta,  
Docta Tubingensi tecta dicata Scolæ.  
Quæ tibi nunc Princeps claris natalibus orte,  
Spes patrij generis Dux Eberharde tui.  
Exhibeo uulgata tuo sub nomine, quamuis,  
Insignis meritj gratia maior erat.  
Namqe quod ingenuas Musis dictantibus artes,  
Est locus ad sedes culta Tuba tua.  
Quod propagatis diuinis legibus illic,  
Artibus excolitur prima iuuenta bonis.  
Maiorum meritis uirtute fideqe tuorum,  
Perfectum his cunctis quod frueremur, erat.  
Inclytus his quondam princeps Eberhardus in oris,  
Et patriæ pater hic & pietatis amans.  
Gymnasium doctis condens hoc dulce camœnis,  
Eximios magno fouit amore uiros.  
Inclyta tu cuius si nunc imitabere facta,  
Quod fieri nostræ spesqe precesqe petunt.  
Gloria uirtutis cultorem tanta manebit,  
Et quoqe Dux tanti nominis alter eris.  
Ergo tuum cupiam cum Dux illustris honorem,  
Primitijs studij condecorare mei.  
Mitis ades, nullacqe tuum patiare clientem  
Parte patrocinio posse carere tuo.  
Ac male desertas hac tempestate camœnas.  
Da precor ut nutu stent ualeantqe tuo.

A ij

Magnus

Magnus Alexander licet irrequieta gerebat  
Bella, nec à Martis munere tutus erat.  
Non tamen hos inter strepitus, & classica signa,  
Deposuit uatis tum monimenta sui.  
Id quoq; tu facies precor, & fecisse iuuabit,  
Consilijs aderit tunc Deus ipse tuis.  
Sic tua succrescat fœliciter auctibus ætas,  
Totius & patriæ sint tua sceptræ salus.

Tuæ Celsitudini

deditissimus

Iosephus Bentius.

DESCRIPTIO INITIORVM IN  
cyltæ Academiæ Tubingensis &  
oppidi Tubingæ.

FAs mihi sit grato patriæ telluris amore,  
Insueto carmen pede, ceu noua licia iungam.  
Munera pierijs me debita reddere Musis.  
Quas uidet ad ripas propè moenia sacra Tubingæ.  
Neccarus, & dulcis uini rigat ora liquore.  
Vos date iam uires, cui uos cunabula prima  
Perpetuos studijs auctusq; dedistis ab æuo.  
Non ego in exitium terræ surgentia bella  
Mota Giganteo superis ausuq; mouenda  
Nec Phaetonteis incensum ex ignibus orbem.  
Daulida nec referam Pyrenæi regna Tyranni.  
Vestra canam uestro sedis celeberrima cultu  
Facta Tubingensis primordia sacra camœnæ.  
Teutonicis oris, qua uix manet altera doctis  
Clara magis studijs, aut nutrix iustior æqui,  
Elegibus aut uitæ rectricibus auctior ulla,  
Sic modo nobilior monumentis facta uirorum  
Præstantum, pulcro stat adhuc in flore statuq;  
Cuius ab ingenua nomen uirtute paratum,  
Famaq; tam late longumq; extensa per orbem  
Lethæas citius non est abitura sub undas  
Quam sua iam mundo, proprij Sol luminis orbus  
Lumina suppositis terris radiosq; negabit.  
Tantum alias superans sacratas numine sedes

A ij

Cœteræ

Cætera quantum aurum superat preciosius æra.  
Huius ego dignas Musarum carmine laudes  
Dicere iam conans terrent à talibus ausum,  
Ingenij modicæ uires, & pondera rerum.  
Vis perit ingenij raros agitata per usus.  
Et nocet his breuitas breuibus contorta diebus,  
Curaq; suscepiti nimium properata laboris.  
Quid faceret uersus Musis & Apolline dignos  
Is, cui pro Bromio lento bromus ora fatigat.  
Crassac; Pelusi ponuntur pocula Zythi.  
Ennius infœlix, infoelix magnus Homerus  
Ipse forent, horum contemtaq; sacra iacerent.  
Ni sua uitigenus præbentia dona calorem,  
Funderet ingenij Bacchus laticemq; merumq;  
Vina sacrâ uerè perhibentur uatibus apta.  
Si qua tamen tales remouerent dicta querelas.  
Altera non minor est, ratio subit altera peior,  
Improbitas uulgi studijs contrariam rectis.  
Rarus & ingenuas Mœcenas excitat artes,  
Vsq; adeo pulcris ætas hæc rebus iniqua est.  
Surgit at in melius, fugit & labefacta querentem,  
Spes animum maior, meliorac; concipit, inde  
Iam fore promittens, post tot perpeſſa laborum,  
Fata suū redeant honor, & sua gratia Musis.  
Cura gubernandi, quibus est & summa potestas  
Tradita, ius populos, & publica commoda rerum.  
Ordinis ac nostri docti sacer ordo Senatus,  
Ad quorum ueniet uox hæc penetrabilis aures

Tan-

Tanta patrocinio non irrita uota leuabit.  
Ergo per inceptas lætus curisq; remotis  
Ingrediar laudes, nil iam remoretur euntem.  
Non prolixus ero, sed ut alueum tempore uerno  
Egrediuntur apes uiridis per gramina campi,  
Parca legunt operi libatis floribus apta.  
Sic ego gratanti dicturus carmine laudes  
Contrahar, & primis tangam quasi maxima labris.  
Nec mea Pirenei uanos imitata libellos,  
Cæpta Palæphatia signabit uoce papyrus.  
Visa feram partim, partim mihi cognita certō,  
Eximiam quarum laudem pia facta merentur.  
Vos mihi nunc faciles præsentia numina Musæ,  
Et Parnasiacæ decus & dulcissima rupis  
Gloria, clare tuis meritisq; fideq; senatus.  
Qui colitis studijs, & dextra iacra fouetis  
Alta Tubingensis, multis quæ uitifer uuis  
Neccarus, & muris uicinior alluit amne.  
Non auersati uestri cultoris honorem,  
Pro solito nixo clementer adeste fauore.

Est tellus celebrata loco, qua summa regendi  
Iura Ducesq; tenent Vuirtenbergensibus agris.  
Hanc niger è piceo deducens flumina saltu  
Neccarus, irriguo medium perlabitur amne.  
Diues ager frugum, diues quoq; copia Bacchi,  
Natiua rerum ditat bonitate colonos,  
Ruricolas faciat messis, sunt horrea spicis  
Plenaq; de lacubus plenis calcantis Alysi.

Musæ

Mussta fluunt, quando uindemia colligit uuas.  
Nec sua sunt adeo cultoribus arua maligna,  
Vt nulla uotum non æquent parte colentis.  
Siue igitur uario flumen quod pisce natetur,  
Siue nemus faciens umbras, uenantibus aptum.  
Seu capiant animum foeti genialibus horti  
Arboribus, non destituit te gratia rerum.  
Nec sua per lætos erranti pascua campos,  
Pabula fœcundus pecori male subtrahit ager.  
Præterea è terris fontesq; scatere salubres,  
Tot uideas pecori, tot qui mortalibus usus.  
Affectis præstent, quorumq; obnoxia morbis  
Corpora sunt uarijs, illis persæpe medentur.  
Adde quod hi gratos præstent sitientibus haustus.  
Nec tamen euacuant condentes æra crumenas.  
Est quoq; fons illa (magnum & mirabile quiddam)  
In regione uelut miscens Acheloia Baccho,  
Vt dubium raro si gustes ore liquorem  
Ignores uel aquam, uel uinum sumpseris ipse,  
At magis hanc uini dicas redolere saporem.  
Vscq; adeo uarijs donis mirèq; creata,  
Omnia diuinæ passim bonitatis abundant.  
Quid referam celsas munitis turribus artes,  
Oppida cum pagis longocq; ex ordine uillas.  
Quæ locus & certum forsitan dabit omnia tempus.  
Huius in extrema dictæ regionis in ora,  
Qua tenui Zephyri fluit agmine Nicer ab aura.  
Vrbs iacet Aonijs Phœbo Musisq; dicata,

Cæpta

Cepta Solo pingui condi, tum crescere amœno,  
Pulcra loci positu, colles nascentibus uuis  
Et montes herbis, & ualles flumine gaudent.  
Quæ ( quia ceu sonitum tuba ductilis edit in auram )  
Præ reliquis fuerat totum uulganda per orbem.  
Est quasi fatali tum nomine dicta Tübinga.  
Nam uelut hæc animos Mauortia pectora uoce,  
Excitat ad pugnas & fortia bella gerenda.  
Sacra nouenarum sic edita plectra fororum,  
Quæ latum longèq; sonum commota dedere.  
Ad studij cultus, dulcesq; Aganippidos undas,  
Potandas multos huc undiq; adire trahebant.  
Ne tamen hæc culti domus & penetralia Phœbi,  
Ex omni iusta tutela parte carerent.  
Addita contiguo cliuo, qua uernus ab orbe,  
Occiduo Zephyrus spirat contrarius Euro.  
Arx operosa tholis, atq; alta mole superba,  
Ornatum splendore caput regalibus effert.  
Hinc atq; hinc positas ualles per mollia prata,  
In latus ambarum faciem ceu brachia tendens.  
Altior ipsa procul latè prospectat ad imas,  
Ipse cauo dextram fœcundans flumine Nicer,  
Alluit, & læti nutrit uineta lyæi.  
Nec minor, alterius si spectes commoda partis,  
Laus erit, æquandis hæ certant usibus ambæ.  
Fontis ab exigua prolapsus origine uiuus,  
Arua rigans medio, præbens molitoribus undas,  
Vicinam donec loturus perfluit urbem.

B

Sed

Sed quali celebrabo tuas urbs inclyta laudes  
Carmine, te quali potero nunc ore tueri.  
Paruula cum latis non sis circumdata muris,  
Nec bene turritis tua stantia moenia portis,  
Firmentur, Pario niteant nec marmore tecta.  
Qualis uel quondam memoratur Troadis Assos,  
Et uallata loco, uallata manuq; fuisse.  
Qualiter aut domibus Baiæ laudantur eburnis,  
Altaq; uel Babylon magni spectacula mundi.  
Sis angusta licet (fateor) non pergama semper.  
Alta iuuant, sculptum moliscq; toreuma superbæ,  
Moenia non faciunt urbem celsa esse beatam.  
Est bene munitus uerè locus ille putandus,  
Quem bene muniuit nutrix concordia pacis,  
Et ius, & rectrix nostræ lex regula uitæ.  
Te quoq; nobilibus studijs rebusq; studentem,  
Et decus & morum talis comitatur honestas.  
Quid memorem ueteris dignissima iura colentum,  
Hospitijs quid munditiem, cultusq; habitumq;.  
Dignumq; ingenuis & castis moribus aptum.  
Extremis ueniat mihi quis deuictus ab Indis,  
Hospes is, hospitium quamuis non notus habebit.  
Axylus officio non his certaret amicō.  
Ac nisi uel cultus hominum, cultusq; locorum,  
Aptior à studijs hanc commendasset honestis.  
Vel pia pro Christi sancto grege, cura regentum,  
Proq; secuturis carisq; nepotibus olim,  
Anxia formandis omni uirtute fuisse,

Vix

Vix reor illustri tantæ sub principe nomen,  
Hæc titulumq; Scolæ toto meruisset in orbe.  
Vix & Apollo suis Nymphis Helicone relicto,  
Illi ipse nouum socijs Helicona colendum,  
Dignandumq; locum tali quæsisset honore.  
Ergo bonas ocij domus ut profitentibus artes,  
Certa propagandi, simul & discentibus esset.  
Vir pius antiquæ de gentis origine natus,  
Vuirtenbergiacis princeps Eberhardus in oris.  
Dux sapiens ueræ magnus uirtutis amator,  
Condidit insigni flagrans pietate fideq;  
Sacra uiris sacris doctisq; Lycæa camoenis,  
Salue sacra domus Clarij penetrale dearum.  
Numinis, æternæ cuius præconia famæ,  
Vulgata magnum complerunt æthera uoce.  
Qua te laude feram, cum non sis ultima cæpti  
Pars mihi præsentis nec contemnenda laboris,  
Consilij domus, & docti reuerenda senatus  
Curia, uictoris quæ spectas celsa Georgij  
Templa, resurgentis uergentia solis ad ortum.  
Hei mihi pro meritis, cum sis dignissima magnis  
Laudibus ornari, docto & bene carmine pingi.  
Quod celebri nequeo uersu te tradere famæ.  
Versibus auden. em (quid non facit improbus ausus)  
Et per inassuetos tentantem uadere calles,  
Me nitor assumpta rerum sub mole fatigat.  
Attamen aggrediar, quamuis luctatus iniquo  
Pondere, Phœbææ de multis pauca referre

B ij

Or:

Ornamenta Scolæ, nec non monumenta sophorum .  
Quæ si non alio commendaretur honore,  
His decorata satis fuerat iam laudibus, est quod  
Ingenijs raris clarorum culta uirorum.  
Quod mare, quæ regio, magno sub sidere cœli,  
Uranium nescit, cuius facundia tanta  
Parç fuit quondam consulta scientia iuris  
Ausonis Ausonios homines ut traxerit ora  
Quale decus fueris ô nobilitate Gregori .  
Lampartere tuis raris uirtutibus olim ,  
Maximus hoc magno pius Æmilianus in orbe  
Te merito Cæsar nouit complexus amore .  
Mystica quis ueris de fontibus eruta sacra ,  
Diuino melius docuit quam Capnion ore ?  
Fallor & : an quondam non sit numeratus in illo ,  
Ordine, præcellens doctrina & laude Philippus ,  
Ingenio nulli, nulli pietate secundus ,  
Qui uelut argutus dulci modulamine Cygnus  
Eminet, ingrato nomenq; meretur in orbe.  
Nec Nauclere tuas tacitus uenerabilis ædes ,  
Contiguas templo ueluti parœcia quondam .  
Prætereo, cuius non dignatus honorem ,  
Præterijt princeps Eberhardus nobilis heros .  
Is quia cum solida doctrina præditus esset ,  
Iudicij foelix & dexteritate ualeret .  
Intèriore Duci meruit fore iunctior usu .  
Nunc quoq; Pæonia cantati nominis arte ,  
Inclita fama tui passim celeberrime Fuchsī .

Hespe

Hesperias implet partes ac implet eoas.  
Illustrata tuis clari monumenta Galeni,  
Et Coi medica senis arte laboribus extant.  
Ipse Machaonijs præstans Podalyrius herbis,  
Noscendis facile palmam tibi cederet heros.  
Digne frui uitæ melioris tempore, cuius  
Perpetuo nomen Solis cum luce manebit.  
At nimium longa serie mihi surgeret ordo,  
Omnia doctorum saltem si clara uirorum,  
Nomina, præsenti recitando persequar ore.  
Iam quoq; si reliquas ornatis cultibus auctas,  
Structurasq; domum Musis loca sacra nouenis.  
Nuper & erectas preciosis molibus ædes,  
Dedaleasq; operas digna grauitate nitentes.  
Dicere continuem dici uelut illa merentur,  
Non modo non longis faciles ambagibus aures.  
Detineam ( siquidem nimium prolixia molestant.)  
Sed quoq; deficeret memoranti talia tempus,  
Attamen hæc nobis quæ conuenientia rebus,  
Mystica concessos sensus & sacra recludunt.  
Præsenti nequeo uix non attingere uersu.  
Illa quod inuictæ Catharinæ sculpta sigillo,  
Virginis ora gerit proprijs insignibus ufa.  
Pingitur hac dulcis tecta sub imagine doctrix,  
Sponsa redemptoris foelix Ecclesia Christi.  
Nam Catharina uelut tum quinquaginta puella,  
Inuicto uicisse uiros hæc dicitur ore,  
Cum modo pro Christo, modo proq; salute professa.

B ij Iam

Iam tradenda neci, & uiolentis mortibus esset.  
Sic crucis obiectus specie paruusq; piorum  
Coetus, in hoc donec luctatus militat orbe.  
Intrepido uerum nullo prohibente fatetur  
Ore Dei uerbum, testatum & sanguine Martyr  
Auspice sub Christo uero uincente triumphat.  
Accipe si poterat, forsan situs ipse docere,  
Non aliena loco, nam religiosa uetus,as,  
Omina principijs & rebus in esse putauit.  
Ponè quod hæc cultu regali respicit arcem,  
Ante uidet templum medio sedet ipsa locata.  
Sic sibi coniunctis stant hæc compagibus ambo,  
Ut scola cum fano posset domus una uideri.  
Scilicet hoc monuit, sacris ut tradita libris,  
Ipsa uelut custos uigilans oracula seruet,  
Numinis auxilio diuini saepe uocato.  
Sacraq; sincerae doctrinæ semina spargi,  
Curet, & humanas omni res arte iuuari.  
Non secus ac speculæ curæ uigilantis in alto  
Vertice, nunc illas nunc has prospectat ad oras.  
Rursus ab occiduo uiolentos cardine flatus  
Bacchantesq; truci uultu fera monstra gigantes.  
Contra uulgas iners artes ut damna perosum.  
Viribus armatus, sanctis & legibus omnis  
Iure Magistratus Musas defendere debet.  
Sed modo tempus erit, qua uestra sede relicta.  
Castalides Nymphæ simul & Latonia proles.  
Accluem iubeat lentus concendere montem,

Arcis

Arcis magnificæ montem splendore superbum,  
Proxima surgentis cliuo quæ iungitur urbis  
Illa sinu gemino latus faciente recessus,  
Vndicq; inapertos sublimis prospicit agros.  
Declives geminis colles amplexibus ulmus,  
Læta tenet, grauidis Bacchi & iuga uitibus ornant  
Hæc arbusta fouet, multo turgentia uino.  
Amnecq; tam dulces illic fundente liquores.  
Neccarus, ut Nectar forsan sit iure uocandus.  
Ne tamen ut dubius queras, ut sæpe uiator.  
Qualia sint celsi turrita palatia montis  
Alta Ducum domus est, & clari Principis aula  
Vuirtenbergiaci, quam cum libet intrat equestri  
Stipatus turma, uisurus & alma Tübingeræ  
Moenia, namq; pari regaliter intus & extra  
Est extructa modo, nec non & splendida cultu  
Eminet, haud æquans firmato robore cultum,  
Apta magis paci domus est, quam fortibus armis  
Siue igitur foris aspicias rutilantia signis  
Tecta procul ( mirum ) purò fulgentibus auro.  
Seu uideas intus preciosa sedilia sumptu,  
Assyrio dices miratus facta colore  
Pulcher imaginibus uarijs cælatus & auro.  
Fons medio lymphas illic ducente canali  
Colligit, & gratas sitientibus egerit undas.  
Mox quis ad interius gressu penetrale receptus,  
Miretur tanq; celestia templa uideret  
Humanam uulgi superant fastigia fortem

Leuibus

Leuibus induetis cameræ & conclauia crustis  
Effulgent, longa serie tot facta uirorum  
Sculpta tot, & subsunt pictis asarota figuris  
Ecquis cuncta queat parua memorare papyro.  
Hæc decora alta loci, cum restent plura canenda,  
Quam ferat elapsum modulari carmina tempus.  
Insuper & cultis & amoënis consitus hortis,  
Mons ibi circuitu lato conterminus urbi  
Imminet, accipiens Phœbæo nomen ab Euro.  
Quod propior spectet Nabathæi sideris axem.  
A dextra liquido radices uitreus amne,  
Neccarus humectat, uicina fouetq; liquore.  
Ima uiatorem per gyros undiq; ducunt.  
Inq; modum circi liber spatiantibus illic,  
Ambitus ex omni grato oblectamine parte  
Panditur, huc pubes studiosaq; sæpe frequentat.  
Sit ne prior donis locus hic cerealibus, an ne  
Diuitijs Bacchi dubito, sic uber abundat.  
Frugibus omnigenis (quod & est mirabile dictu)  
Quæ reliqua passim tota nascuntur in ora.  
Non steriles dum i, uepres, nec in hospita tefqua,  
Summa uel imo tenent, ullis nec cautibus horrens  
Tecta uelut coelo scopulosa ceraunia, fôrdet.  
Consita pubescunt dulci iuga mollia uite  
Vndiq;, per colles acclives uinea multa  
Surgit, & autumnum largo de Nectare donat.  
Pingua da ueterum loca, da Thessalica tempe,  
Da uel Hyperboreos montes, & quicquid in ipso.

Or

Orchomeno charitum tam culto nascitur horto.  
Vix alibi inuenies inter tot iugera terræ,  
Quæ uarijs æquent gignendis frugibus illum.  
Totq; cibos horti uarios in uertice montis  
Corporibus præbent, stirpes herbasq; salubres.  
Sufficiunt, rebus nullis ibi copia defit  
Quæ modo iam præsens uiuendi postulat usus.  
Adde quod hic gelidi nouies bullantibus undis,  
Errantes passim iuga per uernantia fontes.  
(Callirhoë sicut) fundunt sitientibus haustus  
Omnes illimes pariter, pariterq; bibendi,  
His modo qui calidi sub tempore solis anhelant,  
Sæpe uiatorem suffundens ærea Lymphas  
Fistula tam gratas, admoto fortius ore,  
Inde uoluptatis causa potare coegit.  
Hic frondes nemorum pellentes sideris æstus,  
Grata scatebrarum fessis loca subtus inumbrant.  
Voce nemus loquitur totum cum daulias ales,  
Mille modis uariat repetito gutture carmen.  
Castalidum penetrale putes, aut phocidos undas  
Sic locus hic Phœbo, Musis sic conuenit ipsis,  
Sed mihi nunc abitum prærepti temporis hora  
Imperat, & finem cæptis imponere suadet.  
Quare agite ò Musæ louis ò ueneranda propago,  
Ingenijs præstans, & honoribus aucte senatus.  
Si quicquam uestro forsan iam nomine dignum,

C Si

Si meritas cecini laudes ego uester alumnus.  
Accipito placida paucas pro munere chartas,  
Fronte precor(Si fata sinant) meliora dabuntur.

F I N I S.

12





153028

AB: 153028





**Farbkarte #13**



**DESCRIPTIO INTIORVM INCLYTÆ ACADE-**

**MIÆ TUBINGENSIS ET OPPIDI  
TUBINGÆ.**

**AVTORE  
IOSEPHOBENTIO.**

**VVITTEBERGÆ  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.**

**ANNO M. D. LIII.**